



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Claudius Archiep. 7. Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

agis, antequam suscipias JESUM? quid in ipsa susceptione? quid demum, & postquam eum suscepisti? Non te lateat, quod Non minus peccant qui tradunt Christum peccatoribus membris, quam, qui Christum tradiderunt crucifigentibus iudeis. Aug.

S. CLAUDIUS Archiep.

7. Junii.

Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli. Paul. ad Cor. cap. 6.

SALINIS in Burgundia præclaris ortus parentibus est CLAUDIUS, sal terræ futurus. VII. ætatis anno scholas adiit, inque omni literatura laudabiliter est progressus; consortia malorum declinabat semper, nulli foeminae, quamvis miles, locutus, nisi necessitas urgeret; vitas Sanctorum lectitabat, & de similibus ejus fuere colloquia: sal nempe fuit ab omni libidinis putredine carnem præservans: cumque in Bisantinæ Cathedralis Ecclesiæ, XX. ætatis anno, receptus est, vitæ rigore & solitudinis amore, Monacho quàm Canonico similior vixit, eâ virtutis apud omnes æstimatione, ut Archiepiscopi munus subire cum restitaret, etiam

C c 3 à summo

à summo Pontifice juberetur. Ita septennio, nil lecti, vestium, cibi potûsque mutato rigore, cum optimè præfuisset; agente divino Spiritu, infulam cucullo mutavit, inque Ordine S. Benedicti atque S. Eugenio monasterio, L. annos Abbas, ingenti disciplinæ & œconomix emolumento exegit, ubi nonagenarius levi morbo, quem tamen sibi lethalem sciverat, correptus, suis vale dixit, postque quadridui orationes, in templo sacris munitus, recessit ad cubile suum, elevatisque ad cœlum manibus oculisque, sedens exspiravit. Corpus ejus in monasterio sepultum, servatur integrum: Quomodo enim sal corrumpatur, quo alia conservantur. *Lipeloo.*

MEDITATIO

In vitam S. Claudii.

I. **S.** Claudius, annos viginti natus, mundi vanitatem novit, adeò, ut vel in medio mundanorum tumultu, secum habitaret, gauderetque feliciori Anachoretarum tranquillitate. A longo tempore novisti mundi fallacias, non te latet, vanos honores polliceri, momentaneas delicias dare, & ejus divitias seminarium esse criminum, atque molestiarum; ni caveas, frustrabere cœlestibus, quòd ames plùs æquo terrestria; ut quid a-

mas

mas mundum, cujus expertus es vanitatem?

2. Antistitis Jussu fit canonicus tum divino insti-
tu Bisuntinus Antistes. Ad nullum munus accedas,
nisi vocatus à Domino, à quo nimirum ad aliquod
vitæ genus destinaris. Haud dubiè te pœnitebit, si
minùs divinis ejus consiliis morem gesseris: in tua
vitæ conditione contentus eris, si scias, hanc te
complexum esse ex Dei voluntate, solenne tibi sit,
inconsulto Deo nihil quicquam suscipere.

3. Tandem ad optatam eremum secedit, ut serid
mortem meditetur. *Oportet, (dicebat quondam
Dux Clarissimus (ut mortem inter & vitæ negotia, non
nihil sit intervalli, ne imperati discedamus, Nunc a-
nimæ meæ salutem consulam: par est, ut qui tam diu
corpori suo servierit, tandem animæ serviat suæ.
Demus Deo aliquod tempus vitæ nostræ, ne totum diem
vanitas ista, & sollicitudo miseranda consumat. Chris.*

S. MEDARDUS EPISCOPVS.

8. Junii.

*Nolite errare, Deus non irridetur,
qua enim seminaverit homo, hæc
& metet. Paul. ad Gal. 6.*

Nolit fortassè à Gildardo gemello suo
sejungi MEDARDUS, cum quo ita

Aa 3

communia